



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Vsura implicitè commissa diuersimodè consideranda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

566 Usura exterior.

ex mutuo, sed ex accommodata & quasi locata pecunia lucrum habet.

Secundus est similis. Si quis locat pecunias aureas ad ponendum in balneo, vel brodio & huiusmodi si inde vult moderatum lucrum, nulla est usura.

Tertius. Si quis nummos aureos vendit pro argenteis, & inde moderatum lucrum exigit, nulla est usura. Et ratio horum & similium casuum est: quia pecunia in istis contractibus non mutua, sed quasi rei quaedam accommodatur, locatur, venditur, sicut licet in similibus casibus aurum non monetatum, gemma, iocalia, & alia huiusmodi possent accommodari, locari aut vendi cum honesto lucro. Quartus casus est cum lucrum venit ex mora debitoris: ita quod postquam debitor non soluit tempore debito, potest creditor duo lucrari scilicet poenam conventionalem & aliquid pro interesse tam damni emergentis quam lucri cessantis. Nullum siquidem excrementum huiusmodi est usurarium: quia non ex mutuo provenit, sed ex mora debitoris. Et haec intellige si & quando contra voluntatem creditoris contracta est & durat mora. Nam si creditor prorogasset terminum, aut esset contentus de mora continuanda, usura esset: quia ex mutui continuatione seu conservatione lucrum proveniret & non ex mora. non enim est in mora qui consentiente creditore moratur, sed solus qui invito creditore differt solutionem. Et haec dicta sunt de usura ex mutuo explicitè.

Usura impliciti è commissa diversimodè consideranda.

DE usura autem consurgente ex mutuo implicitè (hoc est ex incluso seu interpretato mutuo in aliis contractibus, puta emptionis & venditionis, &c.) dicendum nunc est. Primus ergo casus est, Si quis

vezo

Vsura exterior. 567

vendendo, pluris non pio & moderato, sed rigoroso
 precio vendit, quin expectat tempus quo sibi solu-
 dum est, vsuram committit: quia quasi mutuum est
 expectatio temporis. Quando tamen venditor serua-
 turus esset res in aliud tempus vendendas: potest, ve
 supra dictum est, vendere pluris quam nunc valeat
 iuxta ambiguum verisimile pretium futuri temporis.

Et similiter si quis expectans tempus futurae solu-
 tionis, vendit pluris iuxta verisimile medium seu du-
 bium pretium tempore solutionis futurum excusatur:
 vt si piper nunc valet sex, & in Iulio creditur valitu-
 rum octo, aut plus vel minus, si vendo pro nunc so-
 lutione ad Iulium pro octo, excusor à decretali cap.
 in ciuitate. tanquam emptio non consummata intel-
 ligatur vsq; ad Iulium, quo emptio erit in opere, quæ
 nunc est in solo contractu: quasi venditio cum cor-
 respondente sibi emptione nunc inchoetur, & in Iu-
 lio consummetur. Secundus casus est, Si quis emit
 minoris piissimo pretio pro eo quod nunc soluit, vsu-
 ra est: quia ex tempore pecuniæ solutæ plus habet
 quam pecunia valeat. Tertius casus est, Si quis debi-
 tor alicuius ad annum, minus soluit nunc, quia antici-
 pat solutionem (vt si debet ceterum, det nunc octoginta
 pro tota summa) sine dubio vsura est: quia ex tem-
 pore solutionis anticipato lucrum reportat.

Quartus casus est. Si quis emendo frumentum
 assignandum sibi tempore collectionis frugum, quia
 prius dat pecunias, minoris emit, quam æstimeretur
 honestum pretium tempore assignationis frugum,
 vsura est manifesta ex supradicta radice.

Quintus casus est. Si quis emit minoris iusto pre-
 tio cum pacto de retrouendendo, interim quasi locas
 venditori, & recipiens ad rationem quinque pro cen-
 tum pretii dati, vsura est: quia non est ibi vera em-
 ptio: sed mutuum palliatum sub dictis contractibus:
 quod

§ 68 Ad usuram accipere.

quod patet ex eo quod emitur longè minoris, quam sit iustum pretium. Secus autem esset si super domo vel agro constitueretur perpetuus cēsus ad rationem tot pro centenario iuxta patriæ morem, cum pacto quod possit debitor census se liberare: quoniam contractus iste determinatus est licitus per sedem apostolicam pluries. Sextus casus est. Si quis pecunias suas dat artifici seu numulario, volens capitale saluū, & tantum lucri absolutè: aut si lucratur, etiam si verisimile, aut quasi pro certo habeatur, quod numularius seu artifex multò plus inde lucrabitur, usura est, non societas, nec innominatus contractus: quia & capitali saluo statuitur lucro, & non damno, & quasi ex mutuo lucrum expectatur. Septimus. Si quis rem non extantem tanquam extantem (puta agrum, domum aut armentum) & locat venditori, ut det duplum, & consentio meæ passioni qua patior usuras.

De mediatoribus quoque idem est iudicium: scilicet quod non licet illis inducere aliquem ad faciendum usuram, nec etiam esse quasi negotii usurariorum gestores: puta inquirendo egentes pecuniis sub usuris: aut prouocando ut accipiant à suo sceneratore: quoniam tunc quis esset velut minister usurarii, & participaret in crimine & vinculo restitutionis. Circa participantes autem cum usurariis in usu rerum usurarii, distinctione opus est. Primò, an res illa in seipsa sit aliena: quia tunc idem esset iudicium sicut de participantibus in re rapta, aut furto ablata, quam constat nullo titulo posse contractari licitè ab alio: quia res aliena est. Si autem res ipsa aliena non est, distinguendum est an ex illo usu efficiatur usurarius impotens ad restituendas usuras. Nam si non efficiatur inde impotens ad restituendum, sed æquè potens remanet ad restituendum usuras quas lucratus est: potest licitè homo cum usurario negotiari, & dona

ab

Mons Genuensis. 569

ab eo accipere & dotem, & breuiter quomodolibet contrahere. Si verò efficeretur minor ad restituendum vsuras, non liceret contractus huiusmodi cum vsurario inire. Et in promptu ratio est: quia cum periculo iacturæ proximi negotiaretur, dum fieret quis vsurarius, quamuis nunc pertinax si erat rediret ad cor, non posset satisfacere quibus teneretur. Vnde ab huiusmodi vsurario non licet accipere dona nec dotem, aut aliquid simile: quia per hæc efficeretur impotens ad restituendum: quamuis licitum esset illi vendere, & ab eodem emere: quia per hæc non rediretur impotentior restituendum: quoniam tantumdem recipit ab alio quantum dat de suo. Et iuxta hanc distinctionem regulandi sunt casus qui occurrunt de victu vxoris & filiorum, ac familiæ vsurarii. Si enim hinc fit non soluendo (puta quia nihil habet nisi vsuras, nihilque lucratur, nisi vsurariè) consequens est vt non liceat illis inde victum sumere. Et hoc regulariter loquendo intellige. Nam per accidens posset esse licitum puta si essent in necessitate extrema, aut si vtiliter agerent negotium creditorum, vel spiritaliter (puta suadendo restitutionem) aut corporaliter, puta bonificando eorum bona pignolata. Vide de hac materia difficilius scripta superius in verbo, restitutio. De dominis quoque temporalibus accipientibus ab vsurariis componentibus cum eisdem, vt vsuras impunè facere possint, non solum idem est iudicium quantum ad res quas ab his accipiunt, sed potius si illicita concedunt.

Pagas certas montis Genuensis emere an sit usura.

Cogor hoc in loco respondere quærentibus an sit vsura emere pagas certas montis Genuensis hinc ad triennium recipiendas, ita quod casus est iste: Ioan.